Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Ne despicias narrationem prborum sapientium: et in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus: et fructus magnatis fiunt gloria. Non te praeteriat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis: quia ab ipsis disces intellectum: et in tempore necessitatis dabis responsa. Non incendas carbones peccatorum arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Ne contra faciem stes contumelioso: ne sedeat quasi insidiator ori tuo. Noli fenerare hominem fortiorem te: quia si feneratus fuerit quasi pecuniam habe. Non spondeas supra virtutem tuam: quia si spondisti cogita. Non iudices contra iudicem: quia secundum quod iustum est iudicat. Cum audacia ne eas iuxta: ne forte gravetur mala sua in te. Ipse enim secundum voluntatem suam iudicat: et simul cum stultitia illius peries. Cum iracundo non facias rixam: et cum audace non eas in deserti: quia quasi nihil est ante illum sanguis: et ubi non est adiutorium elidet te. Cum fatuis consilium ne habeas: non enim possunt diligere nisi quae eis placent. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. Non omni homini cor tuum manifestes: ne forte inferat tibi gratiam falsam: et murmurent tibi.

IX.

Non zelet mulierem sinus tuus: ne ostendat suae malitiam doctrinae. Non des mulieri potestatem animae tuae: ne ingrediatur in virtute tua et confundatur. Ne respicias mulierem multivolam: ne forte incidas in laqueos illius. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam: ne forte pereas in efficacia illius. Virgine ne respicias: ne forte scandalizeris in decore illius. Non des fornicariis animam tuam in nullo: ne perdas te et aetatem tuam: et haereditatem tuam. Noli circumspicere in vicis civitatis: neque obversaris in platis illius. Avertere faciem tuam a muliere compta: et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Omnis multitudo quae est fornicaria: quasi stercus in via conculcabitur. Speciem mulieris alienae multi admirati sunt: et plures facti sunt colloquium cum illis: quia ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas omnino: nec accumbas cum ea super cubitum: et ne admiscearis cum ea in vino: ne forte declinet cor tuum in illam: et sanguine tuo labaris in perditionem. Non derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi. Vinum novum amicus novus: veterascet: et cum suavitate bibes illum. Non zelas gloriam et opes priores: non enim scis quae futura sit illius subversio. Non placeat tibi iniuria iniustorum: scienes quia usque ad inferos non placebit impietas. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi: et non suspicabis timore mortis. Et si accesseris: noli aliquid admittere: ne forte auferat vitam tuam. Communionem mortis scito: quia in medio laqueorum ambulabis. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo: et cum sapientibus et prudentibus tracta. Iusti multi sunt tibi amici: et timor dei sit tibi gloriatio. Et in sensu sit tibi cogitatio dei: et omnis enarratio tua in praeceptis altissimi. In manu artificis opera laudabuntur: et princeps populi in sapientia sermonis sui: in sensu eius senior. Inhabitatio terribilis timentibus deum: et sicut homo lingosus et temerarius in civitate sua odibilis erit.

X.

Vox sapientis iudicabitur plebis suae: et principatus sensati erit iudicium. Sicut iudex plebis sic et ministri eius: et qualis est rector civitatis: tales et inhabitantes in ea. Rex in